

potest autem intelligi plena intensive, ita ut non potuerit habere majorem gratiam, ergo intelligendum est, fuisse plenam extensive, seu quoad durationem a primo instanti usque ad ultimum. Secundo, quia in Ecclesia Græca ante annos 1000. celebratur festum conceptionis ejus, ut refert Petr. Galat. lib. VII. cap. VIII. tom. IV. biblioth. sanct. die 9. decemb. In Latina, ante 500. fere annos, ut patet ex epist. CLXXIV. S. Bernard. et Anselmo ep. ad episcopos Angliæ. Quæ consuetudo paulatim confirmata est, et nunc victoriam obtinuisse creditur. Nec mirum, quia Ecclesia dicitur aurora consurgens, quod successu temporis crescat; in cognitione Scripturam et mysteriorum fidei; sicut olim Ecclesia sub lege naturali et scripta crevit paulatim in cognitione et observatione legis. Crevit igitur et in hac sententia quæ habetur in revelatione Sanctæ Birgit. lib. cap. VI. XLIX.

Tertio, quia non est deneganda B. Virgini dignitas, cui non contradicit Scriptura, nec fides, nec pontifices, nec universalis Ecclesiæ consensus. Hæc autem talis est. Nam primo, quod ait Scriptura, omnes peccasse in Adamo, intelligi potest de priori naturæ, in quo contrahere debebat peccatum, nisi fuisset præventa et præservata a Deo; similiter omnes redempti sunt a Christo, intellige, vel a peccato, in quod incidere debebant, nisi fuissent præventi, uti B. Virgo, vel a peccato in quod reipsa inciderunt, ut cæteri mortales. Exempli causa: servus potest redimere filios suos a servitute, alios quidem postquam concepti sunt, alios antequam concipiuntur, ita ut in instanti conceptionis concipiuntur liberi, qui debebant concipi servi: et ita hi redimuntur a servitute, non in qua erant, sed in qua esse debebant. Hoc posteriore modo concepta est B. Virgo, priori cæteri mortales. Secundo, non est contra fidem, quia Sixtus IV. lib. III. extrav. ca. Grave nimis, damnat eos qui dicunt hanc sententiam pertinere ad hæresin: et Pius V. in const. super hac re edita similiter. Tertio, non est contra pontificum decreta, nam licet Pius V. qui voluit omnia revocare ad antiquum ritum, sustulerit officium de conceptione Virginis, id tamen Gregorius XIII. restituit. Denique, nunquam contradictum est huic sententiæ communi Ecclesiæ consensu, ut ex dictis colligi potest.

Vere igitur hæc ex parte dici de Maria potest, quod olim de Marcello Romanorum duce fortissimo dictum legimus, quod Hannibalem tot Romanorum cladibus insolescentem ac vinci propemodum nescium docuerit posse vinci; quando ipsa diabolus, cujus imperium nullus unquam mortalium effugit propter originale peccatum, docuit posse vinci.

IV. Quia caput, id est, superbam dæmonis tyrannidem, qua teste Job, cap. XLI. velut rex *dominatur super universos filios superbiæ*, id est, peccatores sub potestate sua habet ac premit, ita ut quoscumque peccatores, qui ad ipsam confugerint, eripere ab ejus potestate queat. Quis enim dubitet matrem habere etiam potestatem in ea quæ sunt filii? Reginam posse etiam gratias concedere miseris ad se confugientibus, necnon ad regiam secum adducere quos vult? Consideranti mihi contentiosum funem, quem pro peccatoribus lucrandis jam inde ab exordio mundi trahabant, Deus et diabolus, Deus ut salvaret illos, dæmon ut perderet; videtur mihi illorum contentio similis esse ludo sacci, in quo communes lapilli (rusticos aut milites aliqui vocant) deprædari hostes possunt, quos a facie offendunt, qui vero reges seu reginæ progressu facti sunt, omnes omnino hostes, sive a facie occurrant, sive a tergo, seu a latere, rapere et spoliare possunt. Misit igitur initio Deus et paulatim promovit sua gratia suos patriarchas et prophetas, qui multos quidem dæmoni abripiabant milites, quos ad veri Dei cognitionem et præsentiam tractos Deo transcribebant. Rapuit enim dæmon plurimos Deo servos, et detractos in idololatriam aliaque scelera, perdidit, ut propterea conqueratur Deus de populo suo in captivitatem Nabuchodonosor, id est, dæmonis abducto, Isa. LII. cum ait: *Quoniam ablati sunt populus meus gratis, dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa*, (quod videlicet sim Jesus, id est, Salvator) *quia ego ipse qui loquebar* (per prophetas) *ecce adsum*. Itaque novo adhibito conatu Deus homo fieri et matrem suam reginam facere constituit. Quare promovit eam paulatim per plures domunculas, id est, gratias ei collatas in conceptione, nativitate, præsentatione, desponsatione, præservatione a peccato, conservatione in virginitate, et tandem elegit eam in matrem, in qua velut ultima domo fecit eam reginam, quæ undequaque rapere posset dæmone quascumque animas, quæ Virgini obviarent et supplices acciderint. Hinc vocatur ab Ecclesia *refugium peccatorum, consolatrix afflictorum, auxilium Christianorum, regina sanctorum omnium*. Hujus rei figuram habemus in Rahab, Jos. II. quæ divertentes ad se exploratores servos Josue, abscondit a furore regis Jericho, et in fune coccineo dimisit per fenestram, jussitque ad montana pergere et ibi latitare tribus diebus. Rahab latitudinem significat. Et quid longius et latius patet, quam Mariæ nomen, virtus et gloria, quam beatam dicunt omnes generationes? Hæc igitur ex-

ploratores Josue, id est, peccatores, Christianos tamen, ad se confugientes abscondit a furore dæmonis (qui per regem Jericho designatur, quia Jericho lunam, hæc dæmonem significat ut supra ex Bern. diximus) et per funem coccineum, id est, merita Christi Filii sui demittit, jubetque jungeri ad montem, id est, Ecclesiam latitare ibi per triduum penitentis. Ex quo intelligimus superbi illius regis caput contundi a Maria, dum ea peccatores ad se humiliter divertentes recipit, ab ira dæmonis dimittit, et ad Christum remittit, licet ipsi dæmoni totos se devoverint. Quod si tempus ferret, plurimis exemplis demonstrari posset, quæ videri possunt apud Cæsar. lib. IV. cap. XXVI. et XXVII. Horat. Tusrellin. hist. Lauret. lib. VI. cap. XXXIII. histor. miraculorum Beat. Virg. in monte Serrato, ubi multi traduntur, qui dæmoni se devoverant, ab ejus tyrannide liberati, sola invocatione nominis Mariæ, vel toto peregrinationis ad ejus ædem facto, vel factu, aut aspectu tantum candelæ benedictæ et Mariæ imagine insignitæ.

Præ cæteris illustre est illud et clarissimum scriptorum testimoniis celebratum, quod Deipara in Teophilum Adanensis Ecclesiæ æconomum contulit beneficium; cui historia ne Centuriatores quidem pessimi nostræ tempestatis hæretici fidem abrogare ausi sunt, ut testatur P. Canisius, l. V. de B. Virg. c. XX. Ea vero, quia prolixior est, legi potest apud Surium, tom. II. die 4. febr.

Quare ad Mariam secure et confidenter accedamus; tenet illa premitque pedibus tortuosum illum serpentem, etc.

CONCIO VII.

CHRISTI ORTUS CUR TANDIU, AD ULTIMAM MUNDI ÆTATEM DILATUS SIT.

I. Ut Christi majestas agnosceretur. — II. Ut Deus glorificaretur, mundus humiliaretur. — III. Ut patres eum desiderarent. — IV. Ut peccati gravitas agnosceretur. — V. Ut consuleretur senescenti mundo. — VI. Ut mundi recreatio perficeretur ultima ætate.

THEMA.

Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. Gal. IV.

Legimus III. Reg. cap. XVIII. Eliam postquam ingens siccitas terram ob peccatum Achab fame afflixisset, et non pluisset annis tribus et mensibus sex, tandem in verticem Carmeli se contulisse Deumque pro pluvia orasse: interea puerum septem misisse vicibus, ut prospiceret versus

mare, num forte appareret nubes, quæ pluviam afferret. Sed cum primis sex excursionibus nihil cerneret, puer, tandem septima et postrema, ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari: id quod puer statim annuntiavit regi Achab, ac mox inde secuta est pluvia grandis. Allegorice significat hæc sterilitas et famæ penuriam verbi Dei, gratiæ virtutum, meritorum, defectum fidei, etc. qua quidem sterilitate ob defectum pluvie incarnationis Dei affligebatur terra per annos 4000. Unde veteres illi patres maximis votis et precibus pluviam illam desiderabant velut Isaias: *Rorate cæli desuper et nubes pluant justum, etc.* Isa. XLV. Et in omnibus ætatibus prospexerunt ad cælum num forte se ostenderet, tandiu et tot desiderata suspiriis, pluvia illa incarnationis. Prospexit in prima ætate Adam; in secunda Noe; in tertia Abraham; in quarta Moyses; in quinta David; in sexta prophetæ. Sed hi omnes frustra prospexerunt et pluviam non viderunt, tandem septima vice, seu ætate cucurrit Joannes præcursor Domini versus mare, id est, Mariam, et clausus licet adhuc in utero matris vidit, ex illo gratiarum mari prodire nubeculam parvam humanitatis Christi jam incarnati. Unde exultans, lætissimum hoc nuntium annuntiavit mundo. Et inde brevi orta est saluberrima gratiarum pluvia, quæ mundum vivificavit et sæcundavit. Vere nubes Christus est, quoniam mediator Dei et hominum, sicut nubes media inter cælum et terram. Item, uti nubes solis ardorem temperat, ita Christus Dei severitatem; uti nubes sæcundat et inebriat terram, ita Christus aqua verbi Dei mundum; uti nubis beneficio solem intueri possumus, sic Christi beneficio lucem divinitatis aspiciamus. Vestigium vero hominis representat ista nubes, quia fuit opprobrium hominum et abjectio plebis. Sed quæ tandem causa est, quod ad ultimam primum mundi ætatem ei post annos 4000. ab orbe condito prodiit hæc nubes? Audiamus.

I. Ut regis adventantis majestas tanto melius agnosceretur et crederetur: solent enim regem præcedere multi nobiles et principes, deinde sequi ejus consiliarii, officiales, milites, etc. ipse medius incidere. Item cum aliquo peregrinatur, præmittit aliquos præfectos qui venturo præparent necessaria; ultimo ipse cum reliquis advenit. Sic Christus in mundum venturus præmisit longa serie per annos fere 4000. patriarchas, prophetas, summos pontifices, reges, etc. quos secutus ipse cum innumerabili sanctorum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, etc. S. August. tract. XXXI. in Joan. ait: *Quanto major judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat.*

Nimirum per hoc præcones disponi mundus debebat ad percipiendam adventuri regis majestatem. Præmitti debebant variæ figuræ, varia prophetarum oracula, unanimi consensu Dei incarnationem prænuntiantia, quibus mundus capax redderetur ad credendum tantum mysterium. Unde August. ibid. ait: *Per multam seriem temporum et annorum prædicendus fuit Christus? Non enim aliquid parvum venturum erat, etc.* Quod si etiam post tot prædictiones et figuras plerique Judæi Christum Dei Filium cognoscere noluerunt: quomodo agnovissent, si tot prophetiæ per sæcula non præcessissent? Nuntiabant illis magi natum esse regem Christum cujus stellam vidissent, sed locum ab eis quærebant. Tunc ecce principes sacerdotum et Scribæ ex Michææ prophetia designante eis locum, Bethlehem videlicet, et tamen illum necdum agnoscere voluerunt; quomodo agnovissent, si magi nil nuntiassent, Michæas nil prædixisset?

II. Ut Deus medelam mundo nonnisi extreme laboranti et desperato adhiberet, tantoque inde magis glorificaretur ac laudaretur; mundus contra humiliaretur, ut qui ex superbia peccarat, et in hanc miseriam se conjecerat. Solent enim medici leviori adhuc morbo leviora obiter præscribere medicamenta, sed cum morbus invaluit, et res ad desperationem abiit, tunc potentissima adhibent remedia, velut aquam ex gemmis distillatam, etc. accurata adhibent consilia, faciuntque quantum possunt; sic Deus mundum eoque sceclerum ulceribus oppleri et contabescere permisit, donec ad miserimum et desperatissimum statum veniret, implereturque id Is. I. *Omne caput languidum et omne cor mærens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*, ut sic dignam haberet occasionem et causam rationabilem adhibendi remedium illud incarnationis præstantissimum: ut sic mundus clarius agnosceret suam necessitatem et indigentiam, cæcitate videlicet intellectus et debilitatem voluntatis, denique, beneficium succurrentis extreme laboranti. Erat enim mundus tunc, *in maligno positus*, ut in cap. I. ad Rom. testatur apostolus: et Sanctus Bernardus, serm. I. de adventu, sententiam illam apostoli ad Gal. IV. (*Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*) de plenitudine peccatorum intelligit. « Nimirum, inquit, plenitudo et abundantia temporalium, oblivionem et inopiam fecerat æternorum. Opportune ergo tunc advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. » Et paulo ante: « Vere sapienter disposuit sapientia, ut cum magis esset necessarium, tunc primo ferret auxilium, pronos ad ingratitude Adæ filios non ignorans. Vere enim advesperas-

cebat et inclinata erat jam dies, recesserat paulo minus sol justitiæ: ita ut exiguus nimis splendor ejus aut calor esset in terris; nam et lux divinæ notitiæ parva admodum erat et abundante iniquitate, fervor refrigerat charitatis. Jam non apparebat angelus, non loquebatur propheta, cessabant velut desperatione victi, præ nimia utique durtia hominum et obstinatione, at ego (ait Filius) tunc dixit: *Ecce venio.* » Hæc ille. Hanc ob causam dicitur Christus a patriarcha Jacob *expectatio gentium*, Genes. XLIX. et ab Aggæo propheta, *desideratus cunctis gentibus*, cap. II. non quod gentes proprie expectarint vel desiderarint Christum, sed quod ejus adventu maximopere indiguerint: quomodo terra sicca et sitibunda pluviam desiderat, ut tempore Eliæ III. Reg. XVII. et terra promissionis pluviam expectare de cælo dicitur, Deut. XI. Unde discimus tunc maxime Deum succurrere laborantibus et tribulatis, cum maxime eo indigent, ut tanto magis agnoscat eorum beneficium. Sic Joan. XI. ægotanti Lazaro non succurrit, licet monitus per litteras ab ejus sororibus, mortuo: sic Joan. II. deficienti vino in Cana, licet rogatus a matre, non illico vinum ex aqua fecit: Sed nondum venit hora mea, inquit. Tardavit enim id facere, ut manifestior fieret tam necessitas, quam subventio.

III. Ut sic per crebra incarnationis desideria et vota mererentur sibi veteres patres gloriam necnon accelerationem incarnationis, sicque aptiores et digniores fierent ejus susceptione, sicut canonizatio alicujus sancti fit semper ad instantiam principum, vel alicujus populi, ut tanto majori fructu eorum fiat. Nam ut ait D. Thomas, I. part. quæstione XII. articulo VI. *Desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati*: et Augustinus, in Psalm. LXXXIII. *Desiderium, inquit, differtur ut crescat, crescit ut capiat*. Non decebat ut sine ardenti piorum desiderio tantum bonum mundo conferretur, quia alioquin parvi id æstimassent, et exiguo fructu suscepissent. Hinc antequam Christus aliquem sanaret, prius interrogavit: *Vis sanus fieri? vel: Quid vis ut faciam tibi?* Sic distulit audire Chananæam. Sic licet Deus promisisset Abraham sobolem copiosam ex filio ejus Isaac, quando dixit: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, et in semine tuo benedicentur omnes gentes*, Genes. XXII. Non tamen concessit Isaaco prolem, nisi post annos viginti conjugii ejus: nec nisi post instantem orationem pro ea obtinenda fusam, uti Gen. XXV. dicitur: *Deprecatus est Dominum pro uxore sua eo quod esset sterilis, etc.* Hebraice habetur: *Multum et instanter precatus est*. Unde S. Chrysostomus censet Isaacum per annos viginti

instillisse huic orationi, et vigesimo demum anno id impetrasse. Ex quo manifeste colligitur, Deum idcirco sæpe negare parentibus fecunditatem, aliis alia necessaria, quia vult ab iis prius instanter rogari, ut sic cum merito nostro, adeoque majori fructu, dare nobis possit, quod petimus, datumque beneficium tanto pluris æstimemus.

IV. Ut peccati gravitas ex hoc cognosceretur, Deique justissimus furor et indignatio contra illud: eo quod unico mortali delicto ita irritatus sit, ut ad quatuor annorum myriades iram suam extenderit, generi humano nolens reconciliari. Hoc videtur indicari Psalm. LXXXVIII. ubi dicitur: *Tu autem repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum*, eum videlicet, qui æternum regnator est, ut exponit S. Augustinus, quasi diceret: *Repulisti et despexisti nos propter peccatum, ideoque distulisti tamdiu Christum*. Tantum enim inimicitia parietem fecit peccatum inter Deum et hominem, ut accedere quodammodo ad hominem Deus non potuerit instante justitia ejus. Sic Isa. LIX. dicitur: *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, sed iniquitates vestrae dividerunt inter vos et Deum*. Sic Joseph diu afflixit fratres, cum se illis manifestare distulit, quod commeruerant peccando in ipsum graviter. De filio prodigo dixit Dominus, Luc. XV. quod derelinquens paternam domum abierit regionem longinquam, ubi dissipavit substantiam suam. Et quid aliud facit Adam et cum illo humanum genus, postquam a Deo recessit? Tam longe enim recessit, ut nonnisi post annorum quatuor millia redierit ad patrem, interim vero dissipavit omnem substantiam suam, gratiam, virtutes, lumen rationis, conscientiam, etc. Hæc illa ovis perditam et tam longe oberrans, ut nonnisi post annorum centurias fuerit reducta. Quam grave ergo facinus peccatum esse debet, cujus gratia tot hominum myriades per tot sæcula permisi sunt errare in densissimis idololatriæ aliorumque sceclerum tenebris, et perire in suis sordibus? Heu quantum se decipiunt, qui de Dei misericordia præsumentes, libere delinquant, vel in peccatis dormiunt? Quid enim putatis miseri? Qui tanto tempore non misertus est nationem et regnorum; sed omnes præter Judæos reliquit in tenebris suis, ut morerentur in peccatis suis, itane ad arbitrium vestrum statim vobis succurret?

Itaque hinc docemur, quam longe a Deo recedat peccator et quam periculose, siquidem nisi magna adhibeatur vis, et magna affulgeat Dei misericordia, tarde et difficulter a peccatis se expediet, et ad Deum redibit. Hebræi penuria pressi descenderunt in Ægyptum ut ibidem manerent,

quamdiu fames duraret, sed longe diutius ibi manere in miserrima demum servitute coacti sunt per annos fere quadringentos. Similiter in deserto per annos quadraginta circumducti sunt et detenti propter sua peccata, qui alioquin intra totidem fere dies devenire ad terram promissionis potuissent. Nemo itaque cogitat, se quidem voluptatibus nunc indulgere velle, postea vero mox rediturum ad Deum, cursurum ad confessorium, etc. quia res periculi plena est. Angeli mali a Deo recesserunt, et nunquam redierunt, nec redibunt in æternum. Phariseis etiam dixit Dominus, Joan. VIII. *Ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini*. In peccato, inquit, non in peccatorum ingenti cumulo, vel in peccato millies repetito, sed in peccato: ut indicet, etiam qui unicum peccatum admisit, quandoque in eo relinqui et perire.

V. Ut consuleretur senescenti mundo. Quemadmodum enim senes majori indigent fomento et calore externo, ob virium et caloris nativi immixtionem, ita et mundus senescens, sibi relictus semper fit debilior, ad virtutem languidior et in charitas frigidior, ideoque majori egebat fomento gratiæ: unde debebat vicinior esse fornaci, id est, igni illi qui ad accendendam terram missus est in mundum. In hujus rei figura cum David senuisset, nec posset calefieri, quantumvis operiretur vestibus, dixerunt ei servi ejus: *Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, et siet coram rege et foveat eum, dormiatque in sinu suo, et calefaciat dominum regem*, III. Reg. I. Itaque mundo inveterato, quoniam in fide et amore Dei et admodum frigescerat, quæsit adolescentula fuit et pulcherrima quidem ac talis, quæ ignem, imo solem in sinu gereret, Christum videlicet ad calefaciendum mundum. Quod si nunc adeo frigescimus, cum non plures quam 1700. annos absimus ab illius solis ortu: quid fieret, si circa mundi initium ante annos 4000. vel amplius Christus ortus fuisset? Sane extremis temporibus fidei fervor adeo tepescet, ut Dominus ipse Luc. XVI. dixerit: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quam ergo nunc vel in posterum inveniret, si circa mundi initium Christus ortus fuisset? Itaque melius quam Judæi antiqui dicere nos possumus: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis*; quia nobis vicinior et senescenti mundo datus. Ob hoc itaque gratias Deo agamus, et tanto accuratius ei serviamus, ne in die judicii a veteribus patribus condemnemur.

VI. Ut mundi recreatio perficeretur ultima ætate, quemadmodum mundi creatio in homine perfecta est ultima die. Sic enim natura ab im-

perfectioribus progreditur ad perfectiora. Imperfecta fuit et rudis lex naturæ, qua sola vivebant homines initio : perfectior deinde secuta est lex scripta sub Moysæ : perfectissima omnium est lex gratiæ per Christum nobis data. Itaque ex hoc capite obligantur Christiani ad majorem perfectionem præ antiquis patribus, quemadmodum a viro plus requiritur prudentiæ, laboris, industriæ, civilitatis quam a puero. Isaias, cap. LXV. prædixit Christianis, vel præcepit : *Non erit ibi amplius infans dierum et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum maledictus erit, quasi diceret : Erunt Christiani, vel saltem esse debent omnes quasi viri, morum gravitate, honestate, puritate, et virtutibus perfecti, et quo diutius vixerint, eo perfectiores erunt, alioquin si quis adhuc puer sit morum levitate, insipientia, et vanitate, is non perseverabit in Ecclesia, ut ex militante eat ad triumphantem ; sed punietur morte æterna, et gravius quam alii non Christiani, adeoque maledicetur a Deo, et dæmonibus sociabitur. Quare viderit unusquisque ne in mundi senecta puer sit, et rudis sub lege perfectissima, ne audiat aliquando : *Ita maledicte.**

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELICA.

- I. Cur series progenitorum descripta? — II. Cur a Matthæo ante nativitatem, a Luca post baptismum? — III. Cur fit mentio Davidis et Abrahæ specialis? — IV. Cur genealogia Josephi et non Mariæ describitur? — V. Quomodo consonat utraque genealogia? 1. Primus modus. 2. Secundus modus. 3. Tertius modus. — VI. Cur omissi tres reges? — VII. Cur divisa stirps in tres tesseradecadas?

THEMA.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.

Videri posset alicui, S. Matth. attentasse aliquid impossibile, dum seriem generationis Christi ordine descripsit; siquidem de Christo ait Isaias, is, inquam, propheta, qui de Christo ita prophetavit, ut non videretur de futuris vaticinari, sed de præteritis historiam texere, adeoque non tam propheta quam evangelista esse, ut scribit de eo S. Hieronymus. Is ergo, cap. LIII. de Christo ait : *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed optime respondet huic dubio S. Augustinus, hom. XXXVI. inter. L. « Quam generationem? inquit. Ante Luciferum, ante omnia quæ facta sunt, ante omnes angelos, ante omnem creaturam. Quare? Quia per ipsum omnia facta sunt.

Sed forte secunda ejus generatio narratur? Qui illam narrat? Fide concipitur, masculus non accedit, uterus Virginis tumet : procedit tamquam sponsus de thalamo suo. Mirabilis ista generatio; mirabilis ista humana, quia sine patre; mirabilis illa, quia sine matre. » Sic Augustinus. Ex quo intelligimus, nativitatem Christi divinam et humanam explicari impossibile esse, non vero seriem progenitorum ejus, quod solum facit Matth. In qua tamen ipsa enarratione non pauca, nec facilia occurrunt dubia.

I. Quam ob causam series progenitorum Christi descripta sit? Respond. id factum, ut veritas assumptæ carnis in Christo clarius appareret. Permagni enim ferebat ut vera Christi nativitas hominibus innotesceret : quia qui venerat mori, nasci imprimis debuit? Et si vere natus non esset, nec mori potuisset. Unde corruerent omnia quæ de Christo credimus, mors, resurrectio, ascensio : et sic inanis esset fides nostra. « Si mendax esse caro deprehenditur, ait Tertullianus, lib. IX. contra Marcion, sequitur, ut et omnia quæ per Christi carnem gesta sunt, mendacio gesta sint, congressus, contactus, convictus, ipsæ quoque virtutes. » Quod si Pharisæi adhuc dixerunt de Christo, Joan. VIII. Hunc autem nescimus unde sit, quanto magis id dixissent eumque repulissent, si obscuro loco natus fuisset, nihilque de ejus stirpe extitisset?

II. Cur S. Matth. Christi genealogiam initio evang. et ante Christi nativitatem, Lucas vero post baptismum ejus descripsit? Resp. Matth. id fecisse, quia primum quod in historia requiritur, genus est ejus, de quo agitur, principis, Lucam vero ut insinuaret in baptismo renasci hominem novumque ac celeste genus acquirere. Unde bene Matthæus eam describit descendendo ab Abraham usque ad Christum : Lucas vero ascendendo a Christo usque ad Deum, quia nimirum per corporalem nativitatem descendimus a majoribus nostris in lacrymarum vallem, a paradiso in exitum; per baptismum vero et spiritualem renascentiam ascendimus usque ad Deum : vel Matthæus adventum Christi ad nos ostendit; et Lucas commodum et utilitatem adventus voluit declarare. Nam Deus ad nos descendit, ut nos ascenderemus ad Deum. Matthæus ostendit hominem factum, Lucas quomodo Christus faciat nos filios Dei. Quod si igitur gratias Deo agere debemus, quod nati sumus; magis adhuc debemus, quod renati. Et si gaudent parentes cum filius eis nascitur, gaudeant multo magis cum renascitur in baptismo.

III. Cur initio genealogiæ Christus speciatim filius David et David (verisimilius juxta morem

Hebræorum, non Christus) filius Abrahæ vocatur? Resp. Christum ideo specialiter et sigillatim dictum filium Davidis, ut ostenderetur eum esse Messiam a mundo tamdiu expectatum, is autem expectabitur ex familia David. Etenim David specialius, et honorificentius promissus erat Christus, Psalmo LXXXVIII. *Juravi David sancto meo, usque in æternum præparabo semen tuum, etc.* et Psalmo CXXXI. *Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eam de fructu ventris tui, ponam super sedem tuam, etc.* In remunerationem scilicet boni desiderii, quod habuit David ædificandi templum aræ fœderis, itidem cum juramento, ut ibidem præmittitur : *Juravit Domino; votum vovit Deo Jacob : Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei, etc. donec inveniam locum Domino, etc.* Quod accuratius patet ex II. Reg. VII. Unde communiter Christus filius David dicebatur, etiam a turbis, Matth. XXI. a Pharisæis, Matth. XXII. a cæco, Luc. XVIII. Regnum porro Davidis typus erat regni Christi, quia uti David, postquam unctus est in regem, per multa bella comparare sibi regnum debuit, multis exagitatus laboribus et infestatus hostibus, quibus tandem devictis quiete regnare cepit : sic Christus a nativitate quidem unctus in regem a Patre, regnum tamen suum non nisi post ingentes labores et passiones, in cælo occupavit. Colligamus hinc quam fidelis et magnus remunerator sit Deus, qui Davidi, quod is decreverit templum ædificare Deo, promissit Messiam ex semine ejus nasciturum.

Fiat autem et mentio specialis Abrahæ, dum David vocatur Abrahæ filius, et dum ab Abraham initium datur genealogiæ : quia etiam Abrahæ specialis facta est promissio Messiæ de ejus semine. Unde canit Zacharias : *Jusjurandum, quod juravit Dominus ad Abraham patrem nostrum datum se nobis, etc.* Rursus quia Abraham fons et totius Israelitiæ gentis erat, et petra ac fundamentum, unde ipsa excisa est, Isai. LI. idcirco, ab eo merito Matthæus exorsus est genealogiam.

IV. Cur Matthæus genealogiam Joseph, et non potius Mariæ descripserit, siquidem Joseph pater Christi non est; quomodo ergo ostendit Christum progenitum ex Davide, etc.? Respondeo satis ostendere, quia volunt nos colligere necessaria consuetudine, ex eo, quod Joseph, cui nupserat D. Maria vera Christi mater ad familiam Davidis pertinebat, pertinuisse etiam ad eandem familiam Beatam Virginem conjugem ejus. Mandaverat enim Moyses Domino præcipiente, Num. ult. ut omnes viri ducerent uxores de tribu et cognatione sua : et cunctæ feminae de eadem tribu

maritos acciperent, ut hæreditas permaneret in familiis, quæ alioquin possessionibus suis exuerentur, et in plura incommoda inciderent. Quæ lex primo non universaliter intelligenda est de omnibus feminis, sed de iis, ad quæ hæreditas parentum devolvebatur, ut patet ex questione ibi proposita de filiabus Salphaad : item ex subjuncta ratione quam lex affert, denique ex Hebræo, qui sic habet : *Omnis femina hæreditans hæreditatem nubet uni ex tribu sua.* Ut taceam exempla Davidis et aliorum, qui cum aliis tribubus contraxerunt. Unde et factum ut Maria Deipara cognatam haberet Elisabeth, quæ alioquin erat de tribu Levi ex filiabus Aaron. Secundo, intelligenda est non solum de eadem tribu, sed etiam de eadem familia : ut patet ex ratione a lege adducta, nimirum ut hæreditas permaneat in familiis : et ex Hebr. ibidem vers. VIII. *Imnis filia hæreditans hæreditatem, etc.* uni de familia tribus patris sui erit in uxorem. Unde ibidem filiæ Salphaad nupserunt consobrinis suis, seu filiis patruorum suorum. Jam vero Maria Virgo vel unica matris suæ filia erat, uti docet Barrad. tom. I. lib. VI. cap. XV, vel saltem primogenita et hæres paternæ possessionis : unde ex lege nubere debuit uni de familia et tribu. Ostensa igitur Josephi tribu et familia, ostenditur etiam tribus et familia Mariæ, licet proximi Mariæ parentes a Matthæo non describantur, porro D. Matthæus idcirco per generationem Josephi, originem Mariæ significavit, et ad illum potius, quam ad istam deduxit genealogiam, quia Hebræorum consuetudo est, teste S. Hieronym. Matth. I. virorum genealogias texere per viros non per mulieres. Ne igitur a communi Hebræorum usu et consuetudine recederet, noluit eam deducere ad Mariam, sed ad Joseph ejus maritum.

V. Quomodo conveniat genealogia Christi descripta a Matthæo et Luca : nam Matthæus asserit, Josephum Deiparæ sponsum, filium fuisse Jacob; Lucas vero filium Heli (si tamen relativum, qui, ad Joseph, et non ad Christum referendum videatur). Deinceps etiam usque ad David alii numerantur progenitores a Matthæo, et alii a Luca, et plures apud istum.


Respondeo plures esse modos conciliandi evangelistas. Primo, si dicamus ejusdem filii duos fuisse patres, unum naturalem, alterum legalem. Nam ex lege Deut. XXV. quando quis maritus absque liberis decessisset, tenebatur frater defuncti uxorem ejus accipere, et suscitare semen fratri suo, ne deleteretur nomen ejus in Israel. Tunc ergo liberi ex hoc suscepti, patrem habebant naturalem, qui ipsos genuit : legalem vero, defunctum. Sic igitur Joseph potuit habere pa-

trem naturalem, Jacob, juxta Matthæum : legalem vero Heli, juxta Lucam (nam Matthæus, qui utitur verbo *genuit*, naturales tantum patres : Lucas vero, qui utitur verbo *fuit*, quandoque etiam legales patres denotare videtur.) Nec refert quod Jacob et Heli non dicantur habere eundem patrem et avos : sed Jacob habere patrem Mathan : Heli vero patrem Mathan, quia Jacob et Heli potuerunt esse fratres uterini ex matre tantum, quæ duobus viris nupserit, et ex Mathan genuerit Jacob, ex Mathan vero Heli. Sic communiter patres veteres.

Secundo, si dicamus a Matthæo describi genealogiam Joseph, a Luca vero genealogiam Mariæ, ut tam Virginis, quam Josephi, qui pater Christi existimabitur, genus ex familia Davidis constaret, ut multi recentiores docent. Et tunc dicendum est, Matthæum quidem asserere, Jacob fuisse patrem Josephi, Mathan patrem Jacobi, etc. Lucam vero dicere Heli fuisse avum Christi, quia patrem Christi, quem insereret, non habebat ; ideoque ad avum transiisset. Nominavit igitur Joseph, tamquam per parenthesin, ac particulam *qui*, retulit ad Christum, non ad Joseph, hoc modo : *Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta (ut putabatur filius Joseph) qui, id est, Jesus fuit Heli, scilicet nepos ex filia Maria.* Deinceps vero nomen filii substituendum ; videlicet qui (nimirum Heli) fuit (filius) Mathan, etc. Vel (quod eodem recidit, si particula *qui* referenda sit ad Joseph, dicendum est : Qui scilicet Joseph fuit gener, seu etiam lege uxoria filius Heli. Solent enim et generi vocari filii socerorum quod hic faciendum erat ne per feminam texeretur Christi genealogia contra consuetudinem. Itaque pro Maria nominavit Joseph maritum. Dices patrem Deiparæ vocari Joachim. Respondeo, Joachim idem esse quod Heliacim, et per aphæresim Heli. Utriusque enim nominis eadem est significatio, nimirum Deus suscitabit. Unde summus sacerdos qui Judith, cap. IV. vocatur Heliacim, idem, cap. XV. vocatur Joachim : et II. Par. XXXVI. Eliacim vocatur Joachim. Qua ex solutione intelligi potest, quomodo Joseph a Davide, per Salomonem, quod, ait Matthæus, originem traxerit : Virgo vero ab eodem Davide, per Nathan ejus filium, quod scribit Lucas. Sic multi recentiores, Galatinus, Lucidus, Annius, Canus, Sotus, Jansænius, Genebrardus, Canisius.

Tertio, si dicamus Matthæum describere genealogiam Mariæ Virginis, per lineam paternam, sive per parentes Joachim, a quibus tamen in Mathan diverterit ad Joseph et patrem ejus Jacob : Lucam vero describere ejusdem Virginis originem, per lineam maternam, scilicet per pa-

rentes Annæ, matris ejus, ut sic ostendatur ex Matthæo Christum et Mariam per lineam paternam : ex Luca vero per lineam maternam esse de domo et familia David : tunc dicendum, quod Joseph fuerit consobrinus Beatæ Virginis, et Jacob pater Josephi, fuerit frater Heli seu Joachim patris Deiparæ, Jacob vero et Heli fuerint filii Mathan. Vidimus autem supra non solum ex lege licitum fuisse, nubere consobriño, sed etiam præceptum, quando filia est hæres, uti de filiabus Salphaad diximus. Porro S. Lucas tunc ita exponendus est, ut cum ait : *Qui fuit Heli*, nominet Christi avum, velut primum progenitorem masculum, ommissa B. Virgine et Anna, quod mulieres non solerent ingredi genealogiarum series. Rursum cum Lucas ait de Heli : *Qui fuit Mathan*, intellige non filium naturalis, sed gener vel filium improprie, lege uxoria, ut supra diximus. Mathan enim fuit pater S. Annæ, adeoque socer Joachimi. Cum vero ulterius pergat : *Qui fuit Levi, qui fuit Melchi, etc.* intellige semper, filius. Ita Franciscus Lucas, Cornel. a Lapide, etc.



Si quæras, cur his obscuritatum involucris traditæ sint Christi genealogiæ, respondeo servata Hebræorum consuetudine, vix clarius tradi potuisse, quod Christi ortus præter naturam sit et sine patre. Deinde, ut doctores occasionem haberent scrutandi Scripturas ; indocti vero causam haberent non per semetipsos eas explicandi et tractandi, sed requirendi ex ore sacerdotum.

VI. Cur Matthæus omisit tres reges, nimirum Oziam, Joam, et Amasiam, qui tamen inter Joram et Ochoziam, qui idem est cum Azaria, ut patet, IV. Reg. XV. et II. Paralip. XXVI. vixerunt et regnarunt? Respon. id factum propter sanctum quoddam odium in sceleratam Achab domum, et impiam Jezabelem ejus uxorem, quia nimirum Joram immiscuit se domui Achab, et duxit ejus filiam Athaliam in uxorem, crudelem item feminam, ex qua natus est Ochozias, et ex hoc deinceps reges alii. Cum enim Matthæus proposuisset tres tesseradecadas progenitorum constituisse, et in secunda numerus excresceret, vo-

luit e sanctæ nativitatis ordine eliminare tres illos reges ex semine Achab proxime natos, ut sic ad tertiam usque generationem memoria ejus tolleretur ; maxime quia comminatus erat Deus Achabo se demessurum posteriora ejus, III. Reg. XXI. Quare merito sibi timere habent, qui injuste affligunt et opprimunt pauperes, ne et ipsi deleantur de libro viventium : quemadmodum domus Achab expuncta est e libro generationis Christi, quod consilio et instigatione Jezabelis suæ, spoliaverit Nabothum vinea et vita.

VII. Cur Matthæus Christi stirpem in tres divisit tesseradecadas? Respon. id fecisse, ut indicaret triplicem populi Hebræorum statum et gubernationem, sub judicibus ab Abraham usque ad David ; sub regibus, a Davide usque ad transmigrationem Babylonis ; sub sacerdotibus, a transmigratione usque ad Christum, quo veniente cessaverunt dictæ politiæ, et ea lege, regno populoque veteri, ad legem regnum populumque novum transitus factus est. S. Chrysostomus, homil. IV. in Matth. ait, voluisse Matthæum declarare Deum, antequam Filium suum mitteret, omnes attentasse vias, ut populum suum gubernaret et in officio contineret per diversos suos, per judices, reges, duces et sacerdotes ; cumque nihil profecisset, ad extremum misisse Filium suum. Atque eo pertinet parabola illa Matth. XXI. ubi ter mittuntur servi ad vocandum invitandos ad nuptias, et Luc. XX. ubi triplices mittuntur servi ad repetendum fructum vineæ, qui tamen cum omnes male acciperentur, Dominus vine dicit : *Quid faciam? Mittam filium*

meum dilectum, forsitan cum hunc viderint verentur. Et bene ultimus status, a captivitate in Christum terminatur, quia Christus est, qui nos a captivitate peccati in libertatem evangelicam transtulit. Ad hæc omnes generationes in quadraginta duo digestæ sunt, ut responderent quadraginta duo mansionibus, quibus filii Israel ex Ægypto ad terram usque promissionis pervenerunt : totidem namque generationibus quasi gradibus filii Abraham usque ad Christum promissum pervenerunt, ut habet Hieronym. in epist. ad Fab. Lucas vero usque ad Deum numeravit generationes septuaginta septem quibus, ut vult August. II. de cons. evang. cap. IV. omnium peccatorum abolitio significatur. Hoc enim numero peccatorum universalitatem significavit Deus Matth. XVIII. cum dixit Petro, remittendum esse offendentem septuagies septies, Deus etiam pœnarum universitatem eodem numero indicavit, Gen. IV. cum dixit : *De Cain septuplum ultio dabitur, de Lamech vero septuagies septies.* Denique, Matthæus singulas politiæ numero quatuordecim complexus est : ad litteram, quia prima saltem et ultima tot continebant. Mystice, numerus quatuordecim criticus est, et medicorum judicio in morbis periculosissimus. Videtur igitur Deus congruenter naturæ, quatuordecim quaque generatione statum mutare et rempublicam voluisse : ut una quodammodo languente et emortua, alia nasceretur melior. Faxit Deus, respublica nostra ita constituta sit, ut nunquam indigeat reformatione, vel prorsus exterminio.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

GENEALOGIE CHRISTI EFFIGIES.

Qui hæc genealogia nobis ostendat. — I. Est scala Jacob. — II. Est templum Salomonis. — III. Est cœmeterium plenum ossibus. — IV. Est horologium artificiosum.

THEMA.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. I.

Reperiuntur imagines aeri incisæ ex arte optica, quæ in charta conspectæ nullam ullius rei speciem exhibent, et crederes esse meras trabes ex ruina collapsæ domus sine ordine jacentes. Verum si eis speculum concavum opponas, repente assurgent in effigies varias, hæc palatii, il-

la horti, alia templi, alia campi, alia aciei. Talis mihi videtur hodierna genealogia, quæ primo aspectu mera proavorum Christi nomina, adeoque domum et familiam ejus jam dudum collapsam ostendit. Sed si speculum considerationis ei opponamus, varias variarum rerum videbimus picturas ; et in primis aliquid, quod ad splendorem familiæ Christi spectat, sed multo plura, quæ ad depressionem nostram, miserias et vanitatem generis humani. Quia ergo conceptio Deiparæ, per singulare privilegium immaculata, nos admonet conceptionis nostræ maculatæ et calamitosæ, eaque nobis belle satis representatur in hac genealogia, inspiciamus eam.

I. Ecce tibi scalam Jacob, Gen. XXVIII. cujus duo latera sunt Abraham et David, velut princi-